

nasterii in Castello O. S. B. in Reichenbach constitutum. Testatur id ad an. 1401. Andreas Presb. Ratisbon. Tom. cit. in Chronico suo col. 598.

X. fol. 247. Commentaria in Epistolam Pauli ad Romanos perducta usque ad C. V. v. 6. et ab hac Praefatione inchoantia: *Sicut legis ita euangelij perfectio consistit in tribus. preceptis promissis sacramentis. Erant enim in lege precepta quedam moralia, quedam figuralia. Moralia erant que solum morum continent instructionem et nichil ex eis intelligitur. preter quod ex significatione uerborum perpenditur. ut non occides et similia &c.* Hinc ad Epistolas, et primam nostram ita descenditur: *Inter quas prima ponitur, que ad romanos mittitur, non quod eam primam scripserit. sed propter sententiarum difficultatem &c.* Apud nullum Pauli Interpretem, quorum bene multos consului, haec deprehendere datum est, unde me oculatioribus arbitrium defero.

XI. fol. 261. Commentaria in Threnos Jeremiae congesta praecipue e Gisleberti seu Gilberti, quem nescio, an Westmonasteriensem, an Svinsetensem Abbatem habeam, et Paschasi Radberti Expositionibus. Gislebertus ita inchoat: *Lamentaciones hieremie membro patet orationis maxime distinguui uel dissoluto colorari. Res enim breuiter absoluta sine tocius sententiae demonstratione dicitur que alio orationis membro excipitur &c.* Introductionem hanc continuo excipit Expositio C. V. seu

Orationis Jeremiae, et non nisi post 7. folia interiecta pervenitur ad C. I. in quo etiam Codex abrumptur. Porro 7. illa folia interiecta prosequuntur Commentaria in Epistolam ad Rom. superius N. X. inchoata, et ea perducunt ad finem C. XI. in quo et ipsa abrumptur, ut adeo cum Scriptoris, tum Compactoris vitio non parum hic turbatum sit.

DLXI.

Codex membraneus lat. Sec. U. 618 XIII. Folior. 252. f. per duas columnas luculente et probe exaratus, coloribusque illustratus, quem Theologus noster Petrus de Pulka, ut in fronte praescriptum est, emit a Nicolao de Hebersdorf Med. Doctore, et a Petri Heredibus redemptum Thomas Haselbachius Collegio Ducali legavit, continet I. Thomae Aquin. O. P. dicti Doctoris Angelici et a. 1274. vivis exempti Quaestiones XVI. de Malo disputatas. Initium est: *Questio est de Malo. Et primo queritur. an malum sit aliquid. Et uidetur quod sic. Omne enim creatum &c.* Finis vero: *impedit usum rationis in homine sicut patet in arrepticis.* Igitur integrae, pro ut extant in Edit. Rom. Opp. omn. 1570. T. VIII. et Paris. 1660. T. XII. p. 191. f. Subjecit Amanuensis noster: *Explicit De Malo et Dyabolo. Terminus bis esse digneris virgula Jesse.*

II. fol. 98. Questio prima de potentia dei. Sequuntur IX. aliae. Initium est: *Questio est de potentia dei.*

dei. Et primo queritur utrum in deo sit potentia. Et uidetur quod non. Potentia enim est operationis principium &c. Finis vero: Vnde in hoc non est standum sententiae damasceni. Atque ex hoc adparet deesse in Codice integrum Articulum V. et ult. Quaestionis X. Utrum Spiritus sanctus a Filio remaneret distinctus, si ab eo non procederet. Adi edit. Paris. cit. p. 186. Librarii ἐπιφώνημα: *Explicit de Potentia Dei. Vos Domini cella Dea (Mea?) claudite scripta Maria.* III. fol. 192. *Affit principio pulchra puella meo.* Istud quidem benigne de B. V. Maria interpretabor. Sequitur: *Contra primam partem summe.* Consulo imperfectum Elenchum, qui Codici fol. 1. praefixus est, et lego: *Correctorium uel Corruptorium. Correctorium uel potius Corruptorium* scribere debebat Librarius, si quidem ab omnibus illico capi voluit. Res ita se habet. Seculo XIV. Durandus dictus a S. Portiano Ord. Praed. factus postea Meldensis Episcopus non in totum probabat doctrinam sodalis sui Thomae Aquinat. Faientur id ipsi Bibliothecarii Ord. T. I. p. 586. De nullo tamen ejus contra Thomam Scripto mentionem faciunt. Nec magis Caveus, Oudinus, Fabricius, alii, quos consului. Interim dicti Bibliothecarii agentes p. 587, de alio Socio suo Durando, de Aureliaco praecedentis Nepote, et inde dicto Durandello, ajunt hunc contra illum tanquam Thomae Corruptorem strinxisse calamum, adferuntque Scripti Titulum: *Correctori-*
Denis Codd. Theol. V. II. P. II.

um Corruptorii. Confirmat id Antoninus Florent. ejusd. Ord. in *Summa Hist. T. III. Tit. 23. c. 11. §. 2.* Oportet igitur Durandum iis, quae in Thoma carpfit, imposuisse Titulum *Correctorii*, quem impugnator ejus Durandellus mutavit in *Corruptorium*, et ita *Corruptorii Correctorium* scripsit, cujus duos Codices citant supra memorati Bibliothecarii. At vero, ut jam innui, nihil de sic dicto Durandi *Corruptorio*, confessione, an, quod nullum nossent Exemplar, incertum. Quare en illud in nostro Codice. Initium est: *Questione XII. Articulo 5. querens (Thomas) utrum diuina essentia videatur ab intellectu creato per aliquam similitudinem mediam &c.* — *Ista porro videntur nobis falsa &c.* Confer hoc cum initio Durandelli, quod adferunt Bibliothecarii: *Sciendum est igitur prima parte summae Quaest. XII. querit Thomas, utrum essentia diuina videatur ab intellectu creato per aliquam similitudinem &c.* Vides, hoc dirigi contra Exemplaris nostri initium. Exemplar ergo nostrum est Durandi *Correctorium*, quod Durandello aduersario *Corruptorium* adpellare placuit, et ejus *Correctorium* scribere. Porrigitur vero *Correctorium* istud, vel, si mavis, *Corruptorium* per primam Partem Summae, per primam secundae, ad cujus calcem minuto caractere additur: *in secunda parte summe nec regardatur, per tertiam, per Quaestiones de anima, de Virtutibus, et de Quodlibet, quibus omnibus per-*
ftrictis

strictis additur in calce a *Thomae* et *Durandelli* adfecta: *Explicit Corruptorium.*

IV. fol. 220. ἀνεπιγχαφως, sed e praevio Codici Elencho Opu- sculum de uniformitate forme. Est illud in edit. Rom. supracit. T. XVII. n. XLV. minuto caractere impressum, ideoque dubium, quod etiam silentium Autorum a Bibliothecariis p. 339. adductorum confirmat, inscriptum ibi: *De Pluralitate Formarum*, et incipiens: *Quoniam sanctum est honorare ueritatem pre ceteris amicis, ut dicit philosophus in primo Eth.* &c. Interim aut *Thomae* fit, aut non fit, quamvis illud *Petrus de Bergamo* in *Tabula* sua titulo *de unitate vel Pluritate Formarum Thomae* adtribuat, tacere certe non debeo, paene dimidium ejus in *Editis* deesse, adesse vero in nostro Codice. Nam ubi *Edita* definunt: *ne propter multitudinem autoritatum fastidium lectori generetur*, progreditur *Noster*: *et accedo ad tertiam viam* (secundam praemiserat) *principale propositi ostensuram. Tertia via etiam sumitur ex rei unitate nisi enim substantia generabilis esset simpliciter una, si ad eius essentiam pertinerent plures forme &c.* et sic ultra 11. columnas procedit dissertatio, dum in haec verba terminetur: *que est forma et actus primus et exemplar dei. Cui sit gloria in secula. Amen.*

V. fol. 226. Biga Quaestio- num. Prior incipit: *Dicit augustinus, quod ad hoc prosunt suffragia mortuis, ut tolerabilior sit eorum*

dampnatio. Diuersimode intelligitur a doctoribus magistris. Prepositiuus enim dixit, quod propter hoc verbum suffragia prosunt ualde malis in inferno dampnatis. sed non ad liberacionem &c. Rejicitur haec opinio, uti aliae *Cantoris Parisien.* (*Petri*) *Stephani* (*Langtoni*) *Cantuar.* et (*Guil.*) *Altisiodorensis*, et putatur catholicam habere rationem, quod, si *Damnatus* causa fuit, ut bonum fieret per alium, tocies decrescit uermis, quocies bonum illud multiplicatur, et quod ad hoc solum prodest dampnatis ecclesie suffragium. Praemittit vero Autor, temporibus suis (*Sec. 14.*) in doctrina florentes theologos omnes istas quaestiones abhorrere. Altera Quaestio: *Utrum peccatum mortale sit ad uxorem propriam menstruatam accedere?* deciditur negative.

VI. fol. 227. Dissertatio Epistolae hujus initii: *Reuerendo patri Fratri Petro dei gratia archidiacono corinth. frater Robertus cantuarien. sacerdos indignus. quicquid sibi salutis gratie et honoris. Nuper mihi scripsistis quod uenerabilis pater Dominus S. parisiensis episcopus uobis significauit quod ego de consensu omnium magistrorum oxoniens. tam regencium quam non regencium articulos condemnauerim quosdam in grammaticilibus, quosdam in logicalibus, quosdam in naturalibus. et in epistola uestra plures inseruistis de naturalibus fauorem exhibentes in pluribus facto nostro. In aliis autem uobis apparuit mirabile factum esse tanquam dampnati essent arti-*
culi

culi non dampnandi. Hoc igitur vestre paternitati notifico, quod facta dampnatio non fuit, qualis esse solebat heresum expressarum, sed fuit prohibicio in scolis determinando, legendo uel aliter dogmatizando talia asserendi &c. Interim velle se pro VI. illis Articulis, quos Petrus ille non dampnandos putabat, respondere; id quod et exequitur. Ad annum haec 1276. pertinent, quo Robertus Kilwarby e Praed. Ord. ad Sedem Cantuarien. euectus ineptias et cavillos sophisticos in Oxoniensi Academia invalescentes reprimendos censuit, id, quod eodem tempore in Parisina Stephanus Templerius Ep. agitabat. Eorum Elenchum nos jam alibi indicavimus, et Antonius a Wood refert in Hist. Univ. Oxon. pp. 125. et 27. et in Codicibus mss. Angliae pluries occurrit, ut videre est apud Bibliothecarios O. P. T. I. p. 379. in Roberto, e quibus elicio etiam lapsum Librarii nostri, qui pro Petro Archidiacon. Corinth. scribere debebat Guilelmum de Morbecka Archiep. Corinthiensem pariter ex O. P. adsumtum. Non viderunt Apologiam nostram Bibliothecarii illi, cupidi scire, quomodo censuram suam tuitus fuerit Kilwarbaeus contra Morbeckanum; per eam enim latus doctrinae Aquinatis peti rebantur, nec abs re, nam non nisi successu temporis in ipsa Dominicana Familia doctrina illa in universum praevaluit. An Morbeckani Epistola extet, nescio. Novit illam, ut videtur, Guil. Ockamus O. M. ita enim de Roberto

Dialogor. L. II. c. 24. Dicunt quidam, quod damnatio sua temeraria existeret, eo, quod veritates, ut dicunt, condemnavit, unde et quidam alius Archiepiscopus ipsum de dicta damnatione acriter reprehendit scribens eidem epistolam, in qua manifeste asseruit, quod veritates damnauerat. Extrema Apologiae nostrae sunt: et ideo si comitaretur pertinacia, esset tanquam erronea reprobanda.

VII. fol. 231. Tractatus Philosophicotheologicus in calce dictus Fratris Thome de Gradibus in Formis, verum τὸ Thome ab alia manu rescriptum est, neque inter Thomae Aquinatis Opuscula quidquam sic inscriptum reperitur. Ingressus est ejusmodi: Dixisti domine ihesu christe dei uirtus et dei sapientia: Qui elucidant me uitam eternam habebunt. Sed quomodo elucidari queris tu qui uera lux es? An secundum hoc elucidari diceris, quod mentibus hominum illucescis. propter quod et non elucidari dici potes cum mentibus nostris occultaris? Atque hinc ad propositum descendendo concludit Autor Prooemium: amore ueritatis inductus contra gradum formarum disposuimus quendam tractatum componere — ipsum in capitula distinguentes. Horum igitur Pars I. continet 9. Pars II. 13. Pars III. 7. Tota controversia in eo est, an in quolibet Composito ponenda sit una forma substantialis, an uero plures, quae quamvis, ut ait Noster, directe non pertineat ad fidem catholicam, multa tamen inde argui possunt ad Christi passionem, ad existen-

existentiam ejus in sepulcro et in Sacramento. Subtiliter igitur ex *Aristotelis* principiis stabilita opinione sua concludit: *Nos ergo adherentes fidei orthodoxe et modo humano uolentes philosophari secundum ea que tradidimus probabiliter incedentes secundum modum intelligentie nobis a deo concessae ostendimus, quod non conuenit ponere plures formas. In quo finem imponimus huic libro quem intitulari uolumus contra gradus et pleritates formarum. Laus ergo sit ipsi christo &c. L. I. c. I. loquitur Autor de hiis que tradidimus de statu hominum egrorum. Quid igitur, si *Guilelmus de Morbecka* fit, de quo supra meminimus, quique varia Medica de Graeco uertit, ut habes in *Scriptt. Ord. T. I. p. 390.* idque eo magis, quod sub rescripto, ut dixi, *Thomae* nomine, manifeste litera G. adparet.*

DLXII.

R. 645 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 55. 8. fat nitide perscriptus et a. 1721. Bibliothecae Palatinae cum aliis hoc *Vol.* relatis traditus a *Thoma M. Alfano* O. Praed. inscribitur: *Opus D. Thomae Aquinatis De Essentijs*, in calce uero *Liber de Essentia essentiarum*, quem ideo Codicibus Theologicis adnumerare uisum est, quod ab *Essentia diuina* tractationem orditur; hinc enim ad *Physica*, ad *Essentiam corporum supercelestium, elementorum, mineralium, plantarum, animalium* et *accidentium* digreditur. Licet ue-

ro mihi breuem esse per *Quetifum* et *Echardum*, qui T. I. p. 344. luculentis rationibus eum ab *Thoma* abjudicant, quas ibi uide. Init ille: *Magnifico principi ac Illustrissimo domino suo N. primogenito regis ierusalem et Sicilie — Cum prima causa et summa ex altitudine sapientie sue &c. Pro N.* in Codice *Coistin.* inuenerunt Bibliothecarii praedicti *Roberto*, nempe *Caroli II. Claudi* filio, qui biennio post mortem *Thomae* natus fuit. In loco, quem illi excerpunt, fabuloso de *Libro Abelis* nobis fol. 17. p. 2. rectius legitur *Hermes*, quam *Hermogenes*; *Hermeti* enim *Theurgorum* et *Alchymistarum* *Vulgus* ejusmodi stupenda tribuebat. Addam duobus illorum *Locis* excerptis tertium, nobis fol. 18. *Narrat mibi etiam quidam, quod fecerit ymaginem de stanno, secundum quod in dicto (Abelis) libro precipitur, Luna existente sub 2^{da} fatie aquarij non retrograda: et scripsit nomen domini siue Intelligentie lune, et fecit illa que erant necessaria ad ymaginem, secundum quod ibi precipitur, et uolens deridere puellas cuiusdam opidi, posuit dictam ymaginem in aqua et fonte sub aqua illius opidi, et omnes vrcei et uasa, que tangebant aquam, frangebantur. An haec ab *Thoma Aquinate* expectes?*

DLXIII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3356 XIV. Folior. 93. 8. maj. parte priori per duas columnas minutissime,